



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti**

**Stengel, Carl**

**[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV**

I. Ivlii. S. Eberhardvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38356**

**S**EBERHARDVS ex illustri Hilpolfainiorum Comitum gente natus, parentes religiosissimos habuit. Literarum tyrocinium Babenbergæ profuit, hausitq; celeriter optimas disciplinas. Factus dein Canonicus, nudum dum Christum sequi constituit, atq; clam omnibus ad Cœnobium S. Michaelis confugit, ut monachum ibi profiteretur. Sed à Præposito ex Monasterio volens nolens extractus, quod jam in Monachum attonsus Babenbergæ non eleganter appareret, vnà cum pædagogo in Gallias amandatus est. Ibi plurimum in literis, vsu, & prudentiâ profecit, ita ut reuersus Babenbergam maiores natu suâ auctoritate percelleret. Verùm quam semel induerat mentem religiosæ vitæ complectendæ, exiit nunquam: & quadragesimum annum agens, Prüseninganum Monasterium est ingressus. Cùm verò Biburgense Monasterium à fratribus fundatum esset, primus ibidem ab Othone Episcopo designatus est Abbas Eberhardus ex Prüseningano euocatus, rexit annos XIII. Exin Conrado Archiepiscopo Salisburgensi fati functo successit, A. C. MCXLVII. curauit Episcopatum annis XVII. A partibus Alexandri Pont. contra Fridericum Imp. stetit; vitæ innocentiam vndiq; coluit, ita ut miseros vbiq; omni ope, consilio, auxilio presens absens subleuaret; pauperū vlcerosorum, Elephantiacorum tugiaria per se coram adiret, reuisceret, victus & morbi subsidia benignissimè præberet, sordes, vomicas, saniem, taboq; fluentes artus ipse contrectaret, nihilq; prætermitteret officij, quod ab infimo quoque non sine fastidio & horrore præstari solet. Tandem patris multis diuinis pietatis operibus & miraculis, migravit in cælum Cal. Iulij A. C.

MCLXIV. Ex Bau. sancta  
Radert.





S. EBERHARDVS ARCHIEP. SALISE. ORD. S. BEN.  
*Præsul Tunavæ fuit hic EBERHARDVS, egenæ.  
 Cuius erat dando semper aperta manus.*

*Handwritten notes on the book's spine:*  
 ...  
 ...  
 ...  
 ...  
 ...

OHIO 2

M 3

II. IVLII

R-